

alios senem finxisse, eum de quo tanta fama: Itaque congressu primo stupuisse quod euenit ignorantibus quanto lætior sit sapientis iuuentus. Mibi, vt ait, Possidonius vnus etiam peritorum est placidior dies, quam stultorum ætas: hoc in vrbibus euidentissimum est: Quam enim aliam ob causam Roma atque Carthago circa ccccc. annum formidabiles & toto orbe notissimæ fuerant, cum tot vrbes aliæ, & per Europam & per Aphricam permutandis mercibus aut agris foediendis ingloriæ, bina aut terna, vel eò amplius egerint annorum millia finitimis inauditæ? Persuasum vulgò scio, Romam omnium vrbium esse vetustissimam, cum ne sit longius abeundum, in circuitu eius multas vetustiores esse certum est: Sed hanc eius opinionem, vt dixi ingens & singularis gloria conflauit.

ANACHARSIS.

Anacharsis Philosophus, propriè admodum ac prudenter Vrbium leges Aranearum telis simillimas dicebat: Sicut enim illæ imbecilla animantium inuoluunt, franguntur à fortibus: sic hæ pauperum delicta puniunt, à potentibus

f. j.